





12090.

38<sup>r</sup>

A C D

1736. 20.



# LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

D. IOANNES FLORENS  
RIVINVS, P.P.

K. D. Gratt





Oncursus creditorum, vox horrida et noua quidem, sed res antiquissima, ac proh dolor, nostris hisce temporibus aequa ac latrocinia et furta manifesta usitatissima, ut, nisi hostium invasiones, vel calamitates bellicas vel pestilentiam excipias, nullum maius, et reipubliche magis noctitum malum nominari queat. Decoquere, grande aes alienum conflare, non soluendo esse, foro bonisque cedere, conturbare rationes, hodie non amplius ignominiosum censetur, et quod a iudeis inter merita referri consuevit, si vel vincum christianorum decipient, id gloriosum et iucundum christianis, si centenis plures christianos circumuerint, iisdemque maximam bonorum iacturam attulerint. Vatiniano odio malitiosos illos decoctores persecutum fuisse TULLIVM, cognoscimus ex eius oratione *pro QVINTIO Cap. XV*. qui, si fieri posset, e numero viuorum eosdem exturbarerit, et propter vitam turpem, ne morti quidem honestae locum relinqueret. Quae eius verba, quamuis ex mente commentatorum, in primis GRAEVII *ap. Verburg. num. 76.* nimis dura et Cicerone indigna, adeoque inanem sententiam verborumque strepitum continere videantur, tamen mores seculi quotidie

tidie in peius ruentes, et crescens indies malitia hominum, fraudandique artes mirifice excogitatae, si non furcam, fustium ictum, signum in fronte, quam deposuerunt, postulant; damnandi ad opus publicum, quod in lanionem quendam Dresdae nouissime statutum fuisse poenae genus laeto animo perceperimus; notandi infamia; vestitu necessario cum decoro coniuncto, et insigniore adhuc quam flauo illo pileo iisdem in legibus provincialibus iam assignato, per totam vitam ignominiosam, ut IUSTINIANVS Nov. CXXXV. Pr. loqui amat, incedere debebant, ut a quolibet statim cognosci et digito monstrari possent. Inter saluberrimas illas sanctiones poenales, quibus Augustissimus Augustus, gloriose memoriae, Saxoniam suam a variis calamitatibus tutari summa cum sollicitudine laboravit, eminet Mandatum contra Banciruptores anno vigesimo quarto huius seculi emissum, cui iungi meretur illud aduersus raptore et fures, non enim sunt separandi, quos nocendi studium et damnandum vitae genus coniungit. Dolendum saltē, quod astutia debitorum et blanda indulgentia inferiorum iudicū vim atque efficaciam legis saepius impediāt, remorasque iniiciant. At variis itidem fatis et ambiguitatibus subiacet iudicium illud vniuersale, quod concurrentibus pluribus creditoribus formari solet, et iusti quidem plurium hac de re extant tractatus, sed et ista procedendi ratio ne quidem in hunc diem quoad quaestio-



nes iuris aequae ac facti in tutum collocata, verum  
variis adhuc inuoluta difficultatibus, vt filo ariad-  
neo opus fit. Memini ANTONIVM quendam  
A MARA vel potius qui sub isto nomine latuit,  
D. AELIAM SCHNEGASSE sibi id arrogasse ac an-  
no 1689. peculiari tractatu, in quo, quemadmodum  
rubrum tituli indicat, sibi soli placuit, CARPO-  
VIVM, MEVIVM, GAILIVM, STRVVIVM aliosque  
qui antea de concursu creditorum et eorum iuribus  
scripserunt, stilo saepius amaro perstrinxisse, eosdem  
que erroris redarguisse. Sed *Collectores Actorum  
Erud. Lips.* cum eodem anno *Mense Julio* hunc li-  
brum recenserent, iam monuerunt, verendum esse  
non sine ratione, haud paucos fore, qui cum magnis  
istis viris sic ex eius sententia errare, quam cum auto-  
re hoc secus sentire satius ducant. His quidem eo-  
dem anno bellum chartaceum indixit, sed istud mo-  
deste declinarunt, *Mense Decembr. circ. fin.*, nihil  
dissimulando, quod ad eundem conuincendum per-  
tinere poterat. An vero grates illas haud exiguae,  
quas ob bene merita in rem literariam collata a po-  
steritate sibi exposcebat, aut faltem pollicebatur, lar-  
ga messe consecutus fuerit, valde dubitamus. Iam  
olim FRANCISCVS SALGADO DE SOMOZA in  
regali cancellaria Vallisoletana Senator, integro vo-  
lumine labyrinthum creditorum concurrentium  
ad item per debitorem communem inter illos caus-  
satam extricare annis fuit; Dn. LEYSERV  
etiam



etiam *Med. ad π. Vol. VII. Specim. CCCCLXXX.*  
et seq. med. Scyllam & charybdin scopulos infestos,  
quibus bonorum naufragia culpa vel dolo magistra-  
tum et curatorum in concursibus facta sunt, et quo-  
tidie fuit tot, quot nauium in siculo freto, expo-  
suit. Sed nondum diebus halcyoniis in foro frui-  
mur. Supersunt adhuc variantes Doctorum opini-  
ones, ex quo momento temporis concursus cre-  
ditorum initium capiat; quo ordine locandi sint  
creditores; an et quatenus usuriae una cum sorte in  
eadem classe adiudicandae; an probato debito ex  
instrumento guarentigionato, exceptiones illiquidae  
admittendae, aut potius ad separatam actionem re-  
mittendae, aut, quod mihi perinde videtur, plane  
denegandae; una cum centum aliis, in primis circa  
subhastitutiones dubiis questionibus, quarum dissen-  
su Collegiorum dubia decisio, afflictis iam creditori-  
bus, nouas addere solet afflictiones, quibus pro parte  
in salutem ciuium et subditorum obuiam itum et  
medela quaesita in *Ord. Process. Sax. recogn.* Ma-  
xime vero, cum inter grauissima iudiciorum matu-  
randorum impedimenta, remedia suspensiua et de-  
nolutiua, quibus nisi limites ponantur, parum pro-  
ficiet reliqua coarctasse, emineant, e re duxit *Poten-*  
*tissimus*, eadem in processu concursus a sententia  
interlocutoria prorsus denegare, a sententia defini-  
tiua vel mixta vero ad parcendos sumptus et accele-  
randum processum soli prouocationi, exclusa leute-  
ratione

ratione locum relinquere; quanquam *Tit. XXXV.*

*I. g.* facultas leuterandi nominetenus in concursibus creditorum concessa videatur, hoc tamen cum moderamine, vt, si contra sententiam in concursibus creditorum publicatam, ab vna alteraue parte remedium suspensium, puta leuterationem, ab altera vero deuolutium interponatur, iudex antequam arbitrium de recipienda vel reiicienda leuteratione interponat, ante omnia relationem vna cum actis, ad iudicem ad quem emittat, iniecta mentione interpositae leuterationis, qui admissa appellatione, leuterationem, si eiusdem grauaminibus pondus aliquod inesse deprehendat in appellationem mutare, et de vtroque remedio, simultaneo processu coniunctim pronunciare potest. De quo vero casu hic locus accipiens sit, cum in priore vsu leuterationis absque discrimine sit prohibitus, interpretatione nostra definire non audemus. Nec cuiquam creditorum autor extiterim, vt leuterationis beneficio vñquam vtatur, siue designatoria vel alia quaecunque sententia, siue decretum distributionis publicetur, remque aleae plenissimam suscipiat, portius tutissima regiaque via, electa pura appellatione sibi prospiciat. Igitur eo maiori cura ac studio perlegenda acta, quae ad Collegia ICtorum transmittuntur in eiusmodi causis, et si vñquam fides ac industria referentium desideratur, certe ad extreum gradum diligentiae tenebuntur vbi sententia designatoria ferenda,



renda, in qua fata creditorum dispensantur, et cuilibet  
locus quo solutionem expectare vel a iure petendi  
remoueri debet, assignatur, nec indulgendum si for-  
tassis temporis quis rationem habere, sibique ac  
Collegis persuadere velit, nullum sibi dubium sub-  
natum fuisse, nam in reliquis adscriptis sibi actis ea-  
dem cum conuictione iudicium suum proferre pot-  
est et debet, nihilominus de eo quid pronuncian-  
dum sit, assensum reliquorum expectat et exoptat,  
cur non etiam in reliquis praesertim tanti praeiudi-  
cii, et cum sapientissime cautum sit in *Em. Ord.*  
*Proc. ad Tit. XXXIV. §. 2.* quod singulorum do-  
ctorum responsis vis sententiae tribui non debeat.  
Hinc saepius iustae exaudiuntur querelae, quale ex-  
emplum mihi his ipsis diebus e Lusatia, vbi non-  
dum recognita Ordinatio Processus recepta, obue-  
nit a Senatu S. in C. G. concursu, nostro ordini ex-  
hibitum, vbi aliquot leuterationes contra senten-  
tiā designatoriam interpositae, in qua aliqui, qui-  
bus ex imposito arresto ius prioritatis competebat  
plane omisi, circa aliorum nomina, et quantita-  
tes debitas errores commissi, quos iure quasi postli-  
minii ad suas classes loco congruo reuocauimus et  
multa alia quæ in antea aliunde petita sententia ir-  
repserant, correxiimus. Sed nominandi sunt Iuue-  
nes nobilissimi et doctissimi:

Dn. CA-

- P. 249
- Dn. CÁROLVS FRIDERICVS EBER-HARD, Martisb.  
Dn. CONRADVS CHRISTOPHORVS KVNHARDVS, Klepzig. Misn.  
Dn. IVSTVS GVILIELMVS ERICVS IVNCKERVS, Ifenac. Thur.  
Dn. FRIDERICVS AVGVSTVS STRIE-BE, Reichenb. Varisc.  
Dn. IO. GEORGIVS PEZSCH, Martisb.  
Dn. CHRISTIANVS GOTTLÖB FLEISCHER, Zschopau. Misn.  
Dn. GOTTLIEB GVIL. SALOMO, Brenens.  
Dn. CHRISTOPHORVS FRIDERICVS GVLDEN, Schneeberg.  
Dn. ERNESTVS HENR. MYLIVS, Lips.  
Dn. DIETRICVS HENR. SCHELLEN BERG, Dresd.  
Dn. IO. CHRISTOPH. BRAVN, Plau, Var.  
Dn. MAVRITIUS FRIDERICVS BAL-DVINVS, Meineweh. Misn.

qui more haetenus consueto, ex Pandectis, a Lib. XIII.  
vsque ad librum XXIX. a Ludouici descriptum, re-  
spondendo et opponendo, ordine quo hic sequuntur,  
diebus publice indicendis disputabunt, quibus confli-  
ctibus ut numerosa Commilitonum concio adsit, eos-  
dem humanissime invitatos cupimus. Dab. Lipsiae  
Dom. XXII. p. Trin. A. S. R. M DCC XXXVI.

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL.



Leipzig, Diss., 1736



f

TA → OL nur 1 Stück an







1736, 20.  
5 C D

TORI BENEVOLO  
S. P. D.  
OANNES FLORENS  
RIVINVS, P.P.

K. D. Gratt